

8d



1. Wolff f. Christ. gottl. frid. f. diff. de
Chimn et Remphan Lippie 1741.
2. ————— diff. de divortio Iudeorum
3. Wolff f. Christoph. f. diff. de eo quod publi-
me est in his meis verbis. Bonertou
phew. Lippie 1739.
4. Wucherer f. Joh. Fréd. f. praecognita theo-
logia dogmatica iend 1739.
5. Zeibich f. Cas. Henr. f. de Christo vero deo
Wittenb. 1741.
6. ————— diff. qua veres. Zalnoth et Scattia,
examinantur, Wittenb. 1739.
7. ~~Zeibich~~ ^{naturae} Thimon Pauli justificatorum.
Wittenb. 1738.
8. ————— diff. de divinito predicho et ecclitar-
dato mirarulo obscurat solis, in emortua-
cem unigeniti diem ut in signi demorat-
tijni argumento siccum corne fixum
furpse verum nessum, Wittenb. 1739.

R. 14

Q. D. B. V.
DISPVVTATIO THEOLOGICA
DE
IVSTIFICATIONE
PARTICVLARI
QVAM
P R A E S I D E
GVSTAVO GEORGIO
ZELTNER
D.P.P. ET P.
D. APRILIS A. S. R. MDCCXVIII.
PRO
ARGVMENTO DISQVISITIONIS ACADEMICAЕ
PROPONET
IO. FRIDERICVS SCHMIDT
LINDA-ONOLDINVS. SS. THEOL. STVD.

SUOBACI,
Sumptibus JOHANNIS JACOBI ENDRESII.
Recusa Anno 1737.

VIRIS

MAGNIFICO SVMME REVERENDO
ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

JOHANNI GVILIELMO A LITH
SS. THEOL. DOCTORI CELEBERRIMO
SERENISSIMI AC CELSISSIMI MARCHIONIS
BRANDENBURGICI CONSILIARIO ECCLESIASTICO
ET CONSISTORIALI SPECTATISSIMO, SEDIS PRIN-
CIPALIS CETERARVMQVE DVCATVS HVIVS ECCLESiarVM
OMNIVM PRIMARIO PASTORI ETC.

NEC NON

SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO

DOMINO

BENEDICTO ANDREAE STAV-
DACHERO

THEOLOGO CONSVMMATISSIMO

EIDEM SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRIN-
CIPI A CONFESSIOBVIS, CONSILIIS SACRIS INTIMIS
ATQVE A CONCIONIBVS AVLICIS ETC.

DOMINIS PATRONIS AC PROMOTORIBVS SVIS
OMNIBVS QVII PIETATIS QVE CVLTIV
AETERNV PROSECVNDIS

PAGINAS HAS TANQVAM RES FORI IPSORVM
DE MELIOXI NOTA SE COMMENDATVRVS
DEDICAT

SVMMORVM AC SANCTE DEVENERAN-
DORVM NOMINVM EORVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS
RESPONDENS.



C. D.

§. I.

SCITE non minus, quam pie B. MART. CHEMNITIVS: a) *Cer-tum est, inquit, utrumque esse beneficium filii Dei Medi-a-toris, & Remissionem peccatorum & Renovationem, in qua Spiritus S. accedit novas virtutes.* Christus enim sua passione meruit nobis non tantum Remissionem peccatorum; verum etiam hoc, quod propter ipsius meritum datur nobis Spiritus Sanctus, ut renovemur spiritu mentis nostræ. b) *Hæc beneficia filii Dei dicimus quidem esse conjuncta, ita ut, quando reconciliamur, si-mul etiam detur spiritus renovationis.* Sed propterea non confundi-mus illa, sed distinguimus, ita ut cuique suum locum, ordinem & suam proprietatem tribuamus, sicut ex Scriptura didicimus: ut scil. Reconciliatio seu remissio peccatorum præcedat, & postea sequat-ur inchoatio Dilectionis seu novæ Obedientiæ. Præcipue vero, ut fides statuat, se habere placatum Deum & Remissionem peccatorum, non propter sequentem & inchoatam Novitatem, sed propter Mediato-rem filium Dei. Neque vero ex ingenio nostro ea conjunctio-simorum Beneficiorum Dei, Actionumque distinctio excogi-tata est, sed ipso Spiritu S. præeunte, illa ut *Antecedens*, hæc ut *Consequens*, & prioris *fructus*, disertis verbis Rom. VI, 22. & alibi saepius describitur: atque hinc etiam constanter altera *Justificatio*, altera *Sanctificatio*, diversis nominibus, appellan-tur. Quarum unaquæque ut homini conversio contingat, prior forensi modo divinæque mentis judicio, posterior autem in-terna sordium expurgatione peragenda, & per omnem vitam

A 2

con-

a) Exam. Conc. Trid. P. I. f. 233, ed. 8v. Eſ. b) Gal. III, 14. I. Cor. I. 30.

continuanda divinitus, Paullus passim, cum aliis ~~et omnibus~~ Vi-

ris, edocet.

§. II.

Quam solicite autem Spiritus divinus istae vocabula, ne
res ipse commiserentur, secernere studuit, nunquam Justifi-
cationis nomenclaturam pro sanctificatione adhibendo: Loca
enim I. Cor. VI. II. Tit. III. 7. & Apoc. XXII. II. aperte ostendunt,
illuc arbitriarum ordinem actionum divinarum, *bis* con-
suetam plane notionem, & *istic* continuationem status justifi-
cationis designari. Tam accurate nobis etiam danda est opera,
ne qua sanctitatis in renatorum, perque fidem propter Chri-
stum reconciliatorum Dei filiorum, animis implantandæ,
opus itidem divinum, Justificatio nominetur. Nequaquam er-
go approbamus, qui *Justificationis secundæ* nomen eidem tribu-
unt: Quicquid etiam cauferis, & generaliter spectatam illam Pon-
tificiorum distinctionem recteque applicatam fundamento suo non pror-
sus destitui perhibeas. a) Etenim a forma loquendi Spiritus S.
contra monitum Apostoli I. Cor. II. 13. in hoc capite fidei
principe, non modo recederetur, sed operum ingerendorum,
in tam nobile Judicium Dei, si non occasio datur, certe suspi-
cio moveretur, adversariisque latibulum occultandi erroris
præberetur. Immo vero tantum abest, ut vereamur sine super-
stitionis nota, id enixe dissiadere, quantumvis sententia intemera-
ta maneat Apostolica, ut ne alteram quidem, qua de
Jacobus Cap. II. agit, coram hominibus, Declarationem, &
consequentem sive *Justificationis*, reapse jam divinitus impetratae,
sive Fidei sinceritatis, Demonstrationem, secundam *Justificationem*
nuncupare nobis conveniens videatur. b) Quanquam forte
Justificationem secundi (adeoque etiam diversi) generis non in-

com-

a) Conf. Cl. D. I. H. Majus Disp. Theol. T. II. Select. Exerc. f. 322. De Apolog. autem
A. C. loquendi formula videlicet Carpzon, in Ilagog. f. 233. b) Ut solent Reformati
laud pauci: nominatim Beza ad Tit. III. 7. Burmannus Exerc. Theol. P. I. Disp. X.
§. 79, Braunius Doctr. Fud. Vol. I. P. III. cap. IX. §. 21. alii.

500

commodè dixeris: ut aliam subesse vocabulo huic notionem,
quam Pontificiam, hoc est, incrementorum justitiae inhæren-
tis indicem, vel ex ipsa hac ~~τροπήν~~ intelligi possit. Utrum
vero & continuatio divini hujus Beneficii imputatæ Justitiae
Christi renatisque adjudicatae, *secunda Justificatio*, sententia si-
militer a Pontificia consuetudine aliena, vocari queat nec ne?
disputatur. a) Hoc certum est, neque hanc nomenclaturam
usu esse receptam inter nostrates, neque etiam, ut recipiatur
ob causas paullo ante adductas, quenquam facile concessum;
quod quando observamus, non tamen *ineptum* idcirco
vocabulorum estimatorem, aut *importunum Sophistam* dicendum b)
esse, qui ita sentiat, opinamur.

§. III.

Sed mittamus ista: Nobis enim de *Particulari Justificatione*,
immo & *Singulari*, differere paucis constitutum est: cuius nec
Pontificii temere meminerunt, neque etiam Nostrates; eo vi-
delicet significatu, quo de illa disquiri posse illico common-
strabimus. Inter C. Reformatos solus nobis cognitus est *Guilh.
Bradshaw Anglus Theol.* qui in *Dissert. c) de Justificationis do-
ctrina, qua via plana munitur ad eorum concordiam*, qui hac de re
variarunt, ejus mentionem aliquoties fecit. Siquidem præ-
missa cap. X. *Distinctione Justificationis in Universalem & Particu-
larem*, quam ~~ως~~ ~~ἐν ταφέδῳ~~ cap. IV. §. 9 attigerat, tandem cap.
XXI. fere toto, sed breviusculo, rudi illam penicillo descripsit,
nobisque adeo de eo uberioris cogitandi occasionem dedit. Non
meminimus equidem in cœtu quoque illo, cui addictus erat,
alios multos eum sequutos esse. At tamen ingeniosissimum
Christoph. Wittichium hanc observationem haud improbasse, d)
atque adversus *Sam. Marefum* defendisse constat. Ex nostrati-

A 3

bus

a) *Conf. B. Calovius in Sofi. Theol. Tom. X. Art. III. cap. I. p. 160.* & *Rivetus in Genes.
Exercit. LXXXIV. T. I. Opp. f. 322. Sc.* b) *Quod durius est iudicium Chamieri
Panstrat. Tom. III. L. X. c. I. n. VI.* c) *Edita Oxonii An. 1658. 12mo.* d) *Theol.
Pacif. cap. XII. §. 246. f. 214.*

bus vero nemo adhuc occurrit, qui eadem distinguendi formula usus sit. *Justitiae* quidem *particularis* frequens est in his, atque Reformatorum scriptis, memoria, at *Justificationis* vox ubique exulat. Quam etiam ob rem dignum nobis visum est argumentum, quod, data occasione, brevi dissertatiuncula excuteretur & ad lancem Scripturæ divinæ revocaretur. Tantumque lubentius a nobis suscepimus est is labor investigandi, quo apertiora occurrunt in ipsis S. Literis testimonia, quibus *Justificationis* hujusmodi singularis beneficium piis nonnullis, in diviniori cœtu, Viris tribui videtur.

§. IV.

Ut autem legitime procedamus, ambiguitates ante omnia e via removere par est. Quod ut brevissime exequamur, non intelligi hac notione eam *Justificationem* monemus, qua Beneficium *Justitiae* Dei a Christo hominibus omnibus partæ *Applicatione particulari* fieri, ipsamque proinde *Justificationem particulari* hinc dici posse nonnullis visum est. a) Ubi tamen aliis distinctionem in *fundamentalem* & *formalem* seu *actualem*, *qua cuique fidelium justificatio capitatum applicatur*, præferre placuit. Ut cunque sit: (satis enim liquet, universalem redemtionem Christi, particulari oppositam, Reformatos fugere,) ad hunc certe modum plerique locum celeberrimum Rom. V. 18, explicare solent, ut, quando per unius *διακονίαν* εἰς πάντας ἀσπέρτους δινόμων ζωῆς pervenisse dicitur, cum tamen Gal. II. 16. Rom. IV. 5. & alibi idem Beneficium *Justificationis* creditibus tantum adscribatur, illic *universalem*, heic *particulararem* denotari, affirment. Ita vero si vocabulum hoc accipias, non alio modo *Justificatio particularis* dici poterit, quam,

a) H̄i certe B. Th. Thummius distinxit in Tr. quo Dīs. § Term. de *Justif.* explicavit §. 93.
f. 117. b) Sic Charnocus. Angl. dottiss. § cum eo Withius *Miscell.* P. II. *Animadu.*
Iren. c. VIII. §. 3. §. 4.

quam, quemadmodum & Reconciliatio : quæ, cum eunctis mortalibus consummata satisfactione acquisita sit 2. Cor. V. 19., nihilominus eorum tantummodo esse dicitur, qui τὴν καταληγόν ἔλαβον Rom. V. 10. & II. hoc est, qui per fidem Redemtionis, a Christo comparatae, facti sunt revera participes, eademque apprehensa, & sibi adscita, secundum Oeconomiam Evangelicam fruuntur. Si quis autem distincta vocabula, quæ Rom. V. 18. adhibentur, ubi τὸ δικάωμα, fundamentum τῆς δικαιοσεως, præponitur, & non simpliciter δικαιοίων λόγος in omnes, sicuti κατάκυρρα venisse dicitur, animo secum reputet, atque insuper διένος δικαιούματος, non δικαιών ipsam, sed idem δικάωμα (repetendum l. c.) εἰς δικαιοίων λόγος valere, existimet innui, fortassis neque ea distinctione, ad Reconciliacionem videlicet magis quam Justificationem congruente, omnino opus erit.

§. V.

Multo autem minus Particularis illa Justificatio eo sensu dicitur, quo *Partialis* alioqui a Pontificiis vocatur, quæ paullatim ad ulterius incrementum Justitiae, ex primis initiosis animo inditæ, exsurgat ac provehatur. Hæc enim, quæ physico quasi quodam significatu sic appellari solet, eadem prope est, quæ Justificatio secunda, qua peccatorem ex justo, per Infusionem primum intrinsecus redditio, quotidianis progressibus meritisque vere talibus a) justiorem fieri b) illi pertendunt ; tota licet Scriptura S. reclamante & opera nostra perpetuo ac simpliciter, ac in universum omnia, a Justificacione hominum peccatorum, quoquo modo, sive efficienda sive promovenda, excludente. Quod si vero forensi notione, quæ Spi-

a) Concil. Trident. *Sess. VI. Can. XXXII.* b) Bellarm. *L. IV. c. 18. f. 2477. ed. Ingolst.*
ato. *Et alibi Iepius. Stapleton. T. II. Opp. L. V. de Jufif. c. 8. Ecanus. Costerus*
Ec. passim.

Spiritu S. probatur, Justificatio accipiatur, fieri profecto non potest, ut partes aut accessiones in ea ulla tenus admittantur. Quandoquidem, cui imputata est aliena omnibusque numeris consummata Servatoris Jesu Christi (Rom. III. 26. 28. IV. 5.) Justitia, eademque hoc modo per fidem, non promerentem quidem eam, sed accipientem, sive debilem, sive robustam, veram tamen, vere communicata cum credente, neutiquam ex parte tantum gratiae, seu remissionis peccatorum, compos, aut haeres vitae aeternae, sed in solidum & omnino omnibus his beneficiis simul donatur,) Rom. V. 5. Joh. I. 12. &c.) idemque, si τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποσάκεως firmiter retineat, ad exitum usque hujus vitae (Hebr. III. 14.) aeternum quoque ac plene beatitate illa donata fruetur. Idque vulgo Theologi, a) *Justificationem non recipere magis aut minus: Non duplicari eam, nec dividi, aliisque phrasibus idem sonantibus, enunciant.* In quem sensum & B. Lutherus: b) *Seine Gnade, inquit, theilt und stückt sich nicht, wie die Gaben thun, sondern nimmt uns ganz auf in die Hülde, um Christus unsers Fürsprechers und Mittlers uvillen, und daß die Gaben in uns angefangen sind.* Ex his quoque fundamentis rectissime omnium difficilis locus Jac. II. 2. ubi *consummata* (ἐτελειώθη) dicitur *per opera Abrahami Fides*, dilucidari potest: quippe qui non de fidei ipsius, aut *Justificationis per fidem* jam impetratae, natura, intrinsecus *per opera perficienda*, agit, sed de ejus, jam utique praesentis, patefactione, & genuina apertaque demonstratione; ac proinde ad modum signi extrinsecus ita perfectam reddi docet Apostolus. Perinde uti Paullus Virtutem Dei in imbecillibus perfici, hoc est, perfectam efficacissimamque ostendi 2. Cor. XII. 9. inquit.

§. VI.

Est vero etiam aliud quoddam *Justificationis particularis* aut

a) *Vid. Thummius l. c. §. 94. Höpfner. de Jusif. Disp. XII. p. 1089. & alii passim.*
b) *Pref. in Ep. ad Rom. aurea §. Gnade Sc.*

(9)
aut singularis genus, sanctum utique, & a Spir. S. in primis
commendatum, quod præterire non licet; utut a præsenti
instituto aliquo modo alienum esse non diffiteamur. *Annun-*
catio puta *Remissionis peccatorum*, seu ipsa potius, quæ annun-
ciando obtingit, Remissio, divinoque nomine & auctoritate,
~~sancctorum~~ confertur in Ecclesia. Qua de Matth. XVI. & XVIII.
Joh. XX. & alibi promissiones pariter & præceptiones legun-
tur. Lætum hoc nuntium Justificationem appellare non du-
bitamus, eo quod per Ministros Verbi Divini, etiamsi non
Pontificio more, tanquam judices, veluti pro tribunali se-
dentes, & ~~avtēzētōs~~, auditis confitentibus, præmia aut poenas,
pro satisfactione, irrogantes; tamen post adhibitum *discer-*
nendi pœnitentes ab impenitentibus studium, quantum fieri
potest, maximum, delicta credentibus, Christique justitia
exornatis, nomine Supremi, a quo pendent, Domini, per
verbum Evangelii, sic annunciatum, condonantur, (2. Cor.
V. 18. sqq. & cap. II. 10.) justique adeo, qui Christi sunt par-
ticipes facti, pronunciantur. Hæc enim si ita fiant, quis du-
bitet reapse & efficacissime, per hos Dei Legatos, in tranquil-
litatem solatiumque conscientiarum, sigillatim Beneficium
cœleste Justificationis divinæ, certo quodam, ipsique hujus
divinæ actionis indoli conveniente modo, applicari. a) Enim
vero dulcissimi Evangelii hanc eminentissimam saluberri-
mamque prædicationem, in quantum particulatum quibus-
dam contingere solet, potentibus præcipue & desideranti-
bus, quid prohibet, quo minus & *Justificationem particularem*,
aut, si mavis, singularem, eam ob rem, non incommodè vo-
cemus, ipsumque etiam titulum Ministrorum Ecclesiæ, quo
Justificantes multos, Dan. XII. 3. appellantur, in hanc senten-
tiā potius interpretetur, quam de doctrina Evangelii sola,

B

publi-

a) Conf. B. Spener. Epist. 35 Resp. Theol. Germ. T. I. c. I. fol. XXXVII. f. 202. sqq.

publice proposita, & ad Justificationem obtinendam manu-
ductione: Quippe quæ notio vocabuli prorsus insolita, cur
usitatæ, uti quidem vulgo sit, præferatur, nihil caußæ est.
Sed hæc nunc non agimus, eamque ob rem illam quoque
Justificationem, particularem sane, quæ post mortem in Judicio
particulari pie defunctis singulis & sigillatim obtinget, de qua
Ebr. IX. 27. Sir. XI. ult. agitur, studio præterimus.

§. VII.

Aliam enim spectamus, eam, puta, *Justificationem particu-
larem*, aut *singularem*, quæ, quantumvis circa singulos homi-
nes quoque occupata sit, non tamen personas æque ac earum
actiones, & particulatim quidem ad examen revocandas, re-
spicit, atque hinc nomen illud, quod imposuimus, haud inconvenienter sortiri videtur. Quæ, antequam describatur,
quid sit opposita *Universalis Justificatio*, dicendum est. *Bradshavio* præente a) eam sic appellari putant, qua quis ab omniis
in universum adversus Deum peccati reatu, & per consequens a ma-
ledictione divina immunis afferitur. Ubi, cur causæ hujus con-
donationis delictorum universe omnium taceantur, non est
cur mireris L. B., quandoquidem omisiss heic istis, alibi quippe
commemorandis, in præsens duntaxat amplitudinem be-
neficii divini nominasse satis fuit. Hæc si ita comparata sint,
particularis erit *Justificatio*, b) qua queritur, an homo peccato cer-
to alicui particulari obstrictus, aut, an ad certum aliquem modum
gradumve justus existat, justitiaque vel innocentia eidem, illiusmo-
di, eatenus afferitur. Acquiescere possemus hac qualicunque
delineatione, nisi obscuriuscule quædam dicta uberiorem
explanationem desiderarent. Ad quam suppeditandam potis-
simum,

a) l. c. cap. X. § XXV. b) Ex Bradshawii certe mente ita l. c. definitur.

11

simum, ex eodem Reformatorum cœtu, Herm. Witium consulemus, qui, licet conceptis verbis, & prudentissime quidem, *Justificationis particularis* haud meminerit, rem ipsam tamen, ea, qua solet, perspicuitate egregie dilucidavit. *Declaratio*, inquit, a) *Dei de hominibus* (qua notione in Script. divinis accipi *Justificationis* vocabulum ante docuerat,) vel concernit singularia eorum facta, vel integrum ipsorum statum. Facta hominum considerantur, vel relate ad normam divine voluntatis, vel comparatione instituta cum aliorum factis. *De factis absolute pronunciat Deus*, quando ea vel mala declarat, hominem in iis condemnando, quomodo Dei nomine Davidi dicebat Nathan 2. Sam. XII. 9. *Sprevisti verbum Jehovæ faciendo*, quod malum est in oculis ipsius: *Vel bona, hominem in iis justificando*, quo sensu David oculis intentis in justitiam caussæ suæ adversus hostes orat Ps. VII. 9. *Judica me Jehovah secundum justitiam meam* Eccl. Sic Jobum justificavit Deus, quando recte illum de se loquutum esse pronunciat Job. XXII. 8. Hactenus illi. Nobis *Justificatio particularis*, si qua est, ea videretur brevissime dicenda: *Judicium divinae mentis*, quo unum, aut quedam hominum facta, commissa aut omessa, voluntati sue conformia esse, sibique placere, declarat. Ubi caussis hujus judicij iterum prætermisssis, rem ipsam utcunque adumbrasse hactenus sufficit.

S. VIII.

Licentius hæc, quæ per compendium dicta sunt, pa-
tescent, si, ut porro distribui possit particularis justitia,
distincte percipiamus. Dispescitur enim, si Bradshavium se-
quamur, ita, ut aliter de factis proprie sic dictis, aliter vero
de omissis, seu non factis, pronunciandum & existimatudum
sit. Fatetur nimirum & ipse l. c. si cui peccati alicujus, etiam
particularis, reatus intentetur, eum, qui commiserit delictum,

B 2

nulla

a) *Qeconom. Fœd. & Testam. Dei L. III. cap. VIII. S. XVII. sq.*

nulla ratione coram Deo vere justificari posse, quam si Christi satisfactionem pro se praestitam alleget, suamque, fide interveniente, eam faciat: perinde uti Justificatio in universum hac solius Christi justitia, non nostra, nititur. Quod si autem non admiserit aliquis scelus, tum innocentiam sive justitiam ejusdem in justificationem, addit, allegari posse: quod sit ex operibus propriis sive ex formulis & inherente sibi justitia justificari. Idem vero, & haec tenus quidem satis circumspete: Atq[ue] hoc modo, subicit, a) justificari non est penitus a peccati reatu, sed ab hujus vel illius peccati imputatione injusta liberari: eaque paullo ante b) dixerat, etiam reprobos coram Deo justificari posse; imo injustissimum quemvis, etiam Diabolum ipsum, hujus justificationis capacem esse l. c. arbitratur. Quæ postrema verba, cum duriora esse viderentur Sam. Maresio, Christophorus Wittichius c) ita explicavit, ut, sicuti nemo existat, qui non justus sit particulariter in certo aliquo, hoc vel illo, casu, ita quoque Diabolus justus dici possit, quatenus sœpe ab hominibus accusetur, ac si ad sceleris eos singulari instinctu induxitset, quæ tamen animi deliberato consilio & plena voluntate ipsi commiserint: quorum proinde respectu, ubi nimirum suggestiones singulares non habeant locum, neque tentator iste sic appellandus. Sunt equidem in his vera permixta verisimilibus & falsis, ea præsertim, quæ extra limites articuli tertii Symboli Apostolici sunt assumta, & ad infernalem genium perperam applicata, cum tamen in præsenti negotio de Justificatione hominum duntaxat sermo sit. Quia vero illustrationis gratia, utcunque adhiberi poterant, non penitus in præsens illa rejiciemus, multoque minus de ceteris tricis Bradshavianis solliciti erimus, de quibus l. c. agit. Rectius tamen & compendiosius, si quid judicamus, particularis justificatio distingui posset, in eam, quæ vel bona & laudabilia hominum renatorum pariter, ac non renatorum qua-

a) §. 8. b) §. 6. c) Theol. Pacif. cap. XVI, §. 246.

qualiacunque, *Opera*, *Dicta* & *Cogitata* respicit, itemque *Omissa* diversi generis, eademque modo utroque convenire cum voluntate divina, haec tenus censet. Neque enim, quod *Brads-
havium* duntaxat videtur *torsisse* a) solius accusationis, justæ aut injustæ, sed cuiusque etiam rei gestæ vel intermissæ, Deoque penitus cognitæ, quicquid sit de hominum censura, heic ratio habenda est. Etsi plerumque hominum judicia, saepe etiam sinistra, intervenire, nolimus diffiteri.

§. IX.

His præmissis, ne quis de rebus inanibus & fictis nos disputare putet, ostendendum est, *justificationem* hanc *particula-
rem*, aut *singularem*, sive de hominibus eorumque actionibus hujusmodi *judicium* divinum, videri posse, non destitui omni *Scripturarum* divinarum fundamento. Neque enim tantum *perdilectus Servus David* aliquoties ad eam se refert, quando integritatem suam allegat, & secundum *justitiam suam puri-
tatemque manuum suarum* *judicari* desiderat Ps. VII. 9. sed alii quoque commemorantur, quorum *justitiam particularē* prædicari etiam divinitus videoas. Nec eit, quod, quemadmodum haud raro alias in S. Literis fieri solet, ubi בְּ seu integritatis pro sinceritate absque fuso accipitur, heic quoque sinceram tantummodo Davidis pietatem intelligendam existimes. Namque, si Psalm. XVIII. 21. sqq. itemque XVII. 1. sqq. compares, ipsam sane munditatem, בְּ seu innocentiam Regis optimi (coll. Job. IX. 30. XXII. 30. & 2. Sam. XXII. 22. itemque h. l. v. 25.) proponi facile apparebit, atque hinc etiam B. Gejerus b) Davidem se *innocuum culpaque vacantem* *adversus calumniatores gloriari*, & ut ab isto, quod ipsi intendebatur, flagitio immunitis declararetur, rogare inquit. Manifestum igitur est, & luce meridiana clarius, declarationem ejusmodi *judiciumque*

a) Cap. III. §. II. b) Comment. ad Psalm. XVIII. & VII.

in Deo, de se suisque actionibus, his precibus, pro impetrando novis beneficiis, devota humilitate animi a Rege substerni. Ceterum, ubi ad tribunal Dei a) cum hostibus litigat, non de tota vita eum agere liquet, sed de certa (particulari) causa, ubi Davidem multis criminibus illi onerabat: primum defensionis & perfidie, qui a Rege & sacerculo suo descrivisset: deinde latrocinii, ac si instar praedonis (perduellis) regnum occupasset: seditionis etiam, quasi tranquillum regni statum turbasset: postremo crudelitatis & multorum scelerum, quasi causam dedisset cedibus, & multis illicitis artibus conpirationem suam consequitus esset. Ipse autem coram Deo suam innocentiam iure volens affirmat, se integrum & sincere in hac causa fuisse versatum. Idque ipse quoque David Ps. VII. vers. 4. dilucidius indicat, atque alibi Ps. XXVI. I. sqq. XLIII. I. sqq. &c. pluribus confirmat. Ex quibus utique veram heic justificationem ab eo expeditam sententiamque de se insolente particularem pronunciandam fuisse expectatam, in eo, cui obnoxius erat, controversiae statu, apparet. Nec dissimilia sunt exempla Danielis cap. VI. 22. qui coram Deo non minus, quam Rege inventam esse in se iustitiam, Regi Chaldaeorum inquit: itemque Hiobi, ad quod paullo ante *Witsum* provocasse vidimus cap. XLII. 8. ubi ipsius Numinis de ejus iustitia pronunciata sententia reperitur divinis monumentis prodita: Nec non *Pinehas*, de quo Psalm. CVI. 31. coll. Num. XXV. 12. 13. ea leguntur affirmata, quae rem omnem exhaustant. Forte etiam *Pauli* ipsius fidelitas in munere obeundo sacro huc pertinet, super qua I. Cor. IV. 2. sqq. cum *Corinthiis*, iniquius de ea virtute sentientibus, expostulat. Ut alia omissamus, v. g. Deut. XXII. 13. &c. obscuriora. Hæc enim, quæ allegata sunt, ad id, quod instituimus, demonstrandum sufficiunt.

§. X.

Quamvis autem peræque omnia, quæ adduximus, do-

cu-

a) Calvinii verba sunt, ad Psalm. XVIII. 21. f. 75. ed. Genav. 1518.

cumenta scopo nostro inserviant, tamen illustrissimum esse Pinehas facinus, minime dubitamus. *Multa enim huic facto inerant,* inquit accuratissimus Witsius a) propter quæ male factum esse, quod Sacerdos ille egerat, videri posset. Sacerdos erat Pineas, cui non conveniebat manus suas humano sanguine polluere. - Non erat item ex Iudicibus Israëlis, quibus panam suspensionis de fontibus sumendam demandaverat Moyses, edicente id ipso Deo Num. XXV. 4. §. Non servatus est legiimius iudicis ordo, quod ab executione est orsus. Omnia furensis animi excandescētiā magis spirasse videbantur, quam justa lenitate temperatum zelum. Propter has rationes censeri potuisset fœdo se parricidio obstrinxisse. - Sed alter plane Deo visum est, qui recte ab ipso factum esse pronunciauit, laudans illius zelotypiam, declarans eam sibi eousque plauisse, ut propter eam excandescētia sua a filiis Israhel aversa sit. Tantumque aberat, ut idcirco sacerdotio suo privandus fuerit, ut ex adverso addixerit ei & semini ejus Deus sacerdotium perenne ex fidere pacis perpetuo duraturo. - Et hoc est, quod David canit: Impuratum est ipsi ad justitiam, i. e. judicatum est, rite eum at quo ordine fecisse, ac propterea magis laude ac premio, quam vituperio & pena dignum esse. Hæc quisquis animo bene exputet, non dubium est, quin justificationem aliquam particularem, aut singularem potius, concedendam esse sibi persuadeat. Qualis vero ea sit, & quibus fundamentis innixa, illud fortassis non æque planum & perspicuum quibusdam adhuc videri poterit; quare & nos de eo paulo post aliquanto diligentius dispiciemus.

§. XI.

Nunc enim, quibus nominibus ea a nostris, a nomenclatura Justificationis particularis, quod equidem sciam, fere, nec male, abhorrentibus, alias insigniri soleat, exponendum est. Frequentissime omnium *Causæ justitiam* appellari, h. e. eam, quando quis non est reus peccatorum, quorum accusetur ab adversariis,

a)

a) Oeconom. Fœd. & Test. div. l. c. §. 18. & 19. coll. Joh. Gerhardo Lb. T. IV. de B. O. §. 132.

a) vel accusari posset, in vulgus notum est. Eaque forma
 loquendi nostratis Theologis, *Chemnitio, Huttero, Gerhardo,*
Hunnio, Höppnero, Gejero, ac reliquis fere cunctis, hodieque ita
 recepta, usque probata est, ut utramque propemodum
 paginam faciat, in disputationibus contra Pontificios, identi-
 dem loca supra citata §. IX. crepantes. A qua parum differt,
 quando *Justitiam peculiaris facti* aliqui eandem vocare malunt;
 cuiusmodi verbis, iisdem pæne, aut prorsus certe similibus,
B. Hutterus b) & Hunnius c) usi sunt: quos C. Reformati ingenti
 numero, & fere cuncti sequuntur. Inter quos nominatim
 A. Rverus d) *Justitiam facti particularis* aliquando locum habuisse
 largitur, eamque a *Justitia universalis*, qualis requiratur, ut *homo justus*
sit apud Deum, discernit. Quotquot vero ita loqui consuevere,
 hanc caussæ *justitiam diligenter admodum a justitia persona*, imo
 etiam a *Vita justitia*, i. e. universaliter per renovationem, obedientiæ
 divinorum præceptorum studio, quam *Virtutem* alii appellant,
 unicamque esse perhibent, distinguunt. Quo quidem sensu
Zacharie & Elizabethe, ejus uxori *Luc. I. 6. Noacho item, Hiobo*,
 aliisque sanctis, integritatem adscriptam, tanquam ex donata
 ante *justitia fideq; consequentem fructum explicant*. Nec
 desunt, qui existiment, *Johannis quoque verba*: *Qui recte*
facit, is justus est, *I. Joh. III. 7.* eum in modum intelligi oportere.
 A qua sententia *Seb. Schmidius* quoque non est alienus.
 e) Postquam enim *distinguendum esse*, inter *justitiam*, *qua coram Deo*
justificemur, *qua est justitia Christi imputata*, & *inter justitiam inherentem*
etque vita, (quam paullo ante & *Cap. jam II. universalem*
vocaverat) monuisset; non de illa, sed de bac *Johannem Apostolum* loqui,
 ait;

a) Ita Frid. Bechmannus describit Theol. Polem. Loc. XI. Contr. II. sett. III. §. 2.
 b) In Expl. F. C. Art. III. f. 361. sq. f. 233. sq. & alibi sepius. c) In Quest.
 & Resp. de Justif. T. I. Opp. f. 6:4. d) Exercit. LXXXIV. in Genes. T. I. Opp.
 f. 325. e) Comment. in I. Joh. Epist. f. m. 284.

ait; quanquam etiam posteriorem prioris aliquod testimonium esse statim addat. Nobis autem satius & Johanneo stilo congruentius videtur, si recte factorum Justitiam, & quidem universalem, heic tantum, eo modo, quo etiam regenerationis multoties *τεκμήριον* vocatur, tanquam Justitiae fidei jam imperatae documentum adduci, at hanc in Praedicato, illam in Subiecto l. c. intelligi affimes. Quod ipsemet Bellarminus a) fatetur, quando: *Testimonium hoc non docere ait, quid faciat hominem formaliter justum, sed unde possit cognosci, an aliquis sit justus,* idque similitudine ab arbore bona petita, itemque motu corporis, ut tamen ideo nec vivat aliquis, nec arbor bona sit formaliter, porro & haec tenus bene illustrat. Nec scopus Apostoli refragatur, imo hunc sensum omnino is exigit. Eam enim, quæ in sanctitate actionum justarum consistit, demonstrandæ justificationis, per fidem, *ἐν τῷ οὐρανῷ Χριστῷ*, charactrem, notamque & signum esse, illud est præcipue, quod per totam Epistolam continuis, & per modum catenæ connexis, argumentis Apostolus conatur evincere. Neque etiam ex iuste factis tam operose vitæ justitiam ostendere necessarium fuisset, quemadmodum quidem in ea re heic Johannes studiose elaborat, quum res ipsa sine demonstratione cuivis satis pateret.

§. XII.

Propius ad nostrum institutum accedunt, & *particulararem* quandam *Justificationem* admittere videntur, qui *Comparativam Justitiam*, quam *Causæ* etiam innocentiam ab aliis vocari videoas, statuunt. Quos inter B. Th. Thummius b) facile primas tenet, qui & *Respectivam cognominavit*, atque ita *Fideles*,

C

quan-

a) *L. II. de Justif. c. XVI. f. m. 299, Ed. Ingolst. 8v.
§. 109. f. 12j.*

b) *Term. ac Dist. de Justif.*

quando in certo quodam actionis genere cum aliis conferuntur, & iustos dici posse, ait: quorsum loca superius citata, & Davidicam iustitiam refert. Eodemque vocabulo Fr. Turretnus a) usus est, qui tamen & particularis *iustitiae*, explicationis gratia, simul mentionem fecit, sed non relate ad Deum, verum ad impios, qui immerito eos calumniati sint, ita quosdam justos esse dictos, monuit. Qua observatione non multum a B. Gerjeri b) nostri nomenclatura abfuit, cui *Iustitiam hujusmodi, Iustitiam secundum quid*, nuncupare placuit. Ceterum illam hoc loco intelligendam esse *iustitiam*, qua cum aliis impiis, vere, utut forte aliqua tantum ex parte, innocentes & Pii conferuntur, non arbitramur quenquam dubitare. Quando enim comparatione cum pejoribus instituta, etiam sceleratissimi homines alios *justificare*, h. e. occasionem, eos pro minus sonibus declarandi, subministrare dicuntur, id equidem haud proprie accipiendum esse, neque huc pertinere, planum esse existimamus. Licet in Exegeſi sacra non negemus, eam comparationem usum praestare posse, locaque Jerem. III. 11. & Ezech. XVI. 51., ubi recte Lutherus verba transtulit: *Die abtrünnige Israel ist fromm gegen die verstockte Juda*: lucem inde accipient. Sic quoque, quæ alibi reperiuntur de *iustitia bona conscientie*, itemque *inchoata*, aut *Sanctificationis*, quæ jam paſsim sunt notata, ad præsens institutum parum faciunt, sed ad universalem *Iustitiam vitæ*, imperfectam scil. & in hac vita mutilam, at necessario Regenitis, & *Iustitia Christi donata a cordibus peccatorum emundatis*, incumbentem injunctamque spectant, & in L. de *Renovatione* pluribus excutiuntur. Perinde uti de *Iustitia Personæ & Fidei*, quæ post lapsum, vi pacti

Eyan-

a) Theol. Elench. Tom. II. L. XVI. S. 25.
21. sq.

b) Comment. ad Psalm. XVIII.

Evangelici, inter mortales, plane eadem sunt, in L. de *Justificatione* exponi solet.

§. XIII.

Atque his ita præstructis evolutisque, nunc tandem: *Sitne aliqua Particularis Justificatio admittenda, nec ne?* dispiciamus. Ita sane affirmandum primo obtuitu pluribus videbitur. Ubiunque enim *Justitia Caussæ*, Facti peculiaris & comparata, h. e. actionis vel omissionis unius bonæ justæque, aut plurium in certo quodam genere continuatarum, deprehenditur, eademque æquo Judici cognita sit, illic & *Justificationem* aliquam locum habere, v. g. de *Casitate Josephi Gen. XXXIX.* tot. verisimiliter infertur. Namque *Justificatio seu Declaratio* alicujus facti, etiam divina, nusquam existit, & ne cogitari quidem potest, quin eadem ad *Personam* quoque, eatenus saltem pro justa aut insonte habendam pronunciandamque, referatur. Forma quippe, immo & accidens personæ inhærens, quæ formahinc accidentalis dici solet, ipsi personæ, in qua sedem habet, certam, & quidem ab ipsa forma, quam vocant, desumtam denominationem communicat: concretaque, quæ dicuntur, & abstracta ita se invicem respiciunt, ut quemadmodum Doctus a doctrina, inhærente animo, nomen adipiscitur, sic vicissima *Justitia* præsente, certo modo, h. e. sive in solidum, sive ex parte, *Justus* appellatur & *Justificandus* est. Quandoquidem, qualis & quanta res est, ejusmodi quoque de ea ferendum judicium, ac proinde ex particulari quadam *justitia*, particulatim quoque *justum*, qui eam possidet, pronunciari debere liquet. *Perinde est*, ait *Car. Gatacker* in *Ichnograph. Doctrin. de Justif.* a) *utrum dicimus, fidem Abramam, an Abramum fidelem operibus fuisse justificata*

a) §. XVII. p. 58. sq. apud B. Christ. Franck. Exerc. Anti-Limborsch. Ex. VII. c. II.
§. XV. p. 344.

sicutum? Sicut sapientia, sanctitas & justitia Dei, & Deus ipse, simul justificatur ab inquis hominum iudiciis, aut suspicionibus de Dei sapientia, quando Deus sapiens, sanctus & justus esse manifestatur. Pari modo de Justitia Caussæ certorum hominum statuendum videtur, ita, ut si quid juste egerunt, (in tantum saltem,) ut ifacta, ita personæ, ob facta justa, justæ quoque declarandæ seu justificandæ sint. Neque sane aliter Ratio hominis, sibi suisque viribus in judicando confidens, ex his dictis concludit, &, si Philosophiae judicio res æstimanda sit, ea confecta jam erit. Quin etiam, si ejusdem, v. g. de Davide, aliisque innocentibus, quantum ad certam caussam, Viris, res staret arbitrio, tota fane & tam per vulgata distinctio inter Justitiam Caussæ & persone rejicienda esset, ut minus adæquata; eo quod nulla caussæ justitia sine personæ quoque justitia, ad quam ea pertinet, vel mente comprehendendi possit, Personæ quoque justitiam hinc in Universalem atque particularem discernendam esse, sicuti etiam I. c. Wittichius existimavit, verisimilius planiusque videatur.

§. XIV.

Quod si vero cum his scrupulis porro contendas, quæ toties Spiritus S. de Justitia fidei χωρὶς ἐγὼν Rom. III. & IV. repetit, itemque Justificationem non aliter expectandam esse a Deo εἰ μὴ διὰ τίσεως Gal. II. urget, atque Doctrinam insuper de Beneficio tam excellenti, cum accurata Fidei & Operum oppositione, Rom. XI. 6. tam operose a Paullo cum primis traditam inculcatamque expendas, ut jam olim Chrysostomus a) tantæ rebementia Apostolum nusquam esse usum, (εἰς αὐτὸς τοιαύτης ἀλεξιστοῦ καταφορᾶς καὶ θυνῆς) quanta in presenti arguento, observarit, suspendetur animus. Si porro non quædam tantum opera,

a) Homil. I, in Epist. ad Gal. T. V. Opp. f. 778. Ed. Fj.

ra, v.g. naturæ viribus facta & Judæis forte propria, sed univer-
 sa, quibus neglectis totus mundus Deo *ὑπόδινος* fiat, Rom.
 III. 19. simpliciter a divinissimo hoc actu ita excludi cogites,
 ut ne a renatis quidem & viribus gratiæ instructis profecta,
 qualia non ita multo post ex Epistolis Paullinis memorabun-
 tur, in censum veniant; necessarium profecto videbitur, ut
 omnem omnino sive universalem sive particularem justificationem,
 ex Operibus non minus, quam Opere uno aut
 pluribus, utcunque factis, *e foro cœlesti* procul removeamus.
 Ad quod accedit, quod nec ipse *David*, ad innocentiam suam
 toties provocans, in precibus ad Numen supremum fusis
 Psalm CXXX, 3. & CXLIII, 2. ex Operibus suis, qualitercunque
 consideratis, judicari desideret, sed potius judicium illud,
 secundum Legem oppido rigidum, quod sibi adversum fore
 animus prælagiebat, humillime deprecetur, & solius Messiae
 justitia, Psalm. XXII. 32. prædicata, nitatur. Neque sane alia,
 quam quæ sunt de Davide R. demonstrata, ex *Abrahami* exem-
 ple, veluti primaria universæ Justificationis norma, Rom. IV.
 integr. & Gal. III. a Spiritu S. constituta, eluent: utpote qui,
 dum viveret, ~~διεργάτης~~^{τιμωντής} a Deo non alio modo, alioque instrumen-
 to, quam per fidem, in benedicto illo Semine conquiescentem,
 dicitur adeptus, constanterque potitus. Immo & ipse *Paullus*,
 eadem Christi unius justitia, non sua sibiique runc inhærente
 justitia, nixus, Phil. III. 8. & 9. &c. *ἐκ τίσεως εἰς τίσιν* justitiam per
 Evangelium revelatam esse & solum valere, Rom. I. 17. diserte
 inquit. Qua formula, uti ingeniosissimus *Lokitis* a) eam
 interpretatus est, etiam nos nihil aliud innui arbitramur,
 quam Fidem *undiquaque*, in Justificatione divina omni, velut
 ab uno extremo ad alterum, & justitiam fide nobis applicatam
 C 3

a) In Paraphr. Epist. Paul. A. 1709. Lond. ed. S in A. E. L. T. V. Suppl. Scit. V.
 f. 215. sq. recens. Conf. & Witsius Mijell. Tom. II. Animadav. Iren. f. 735.

solam, rem confidere, eamque non alia quam hac ratione nobis semper & ubique obtингere. Hanc enim interpretationem, uti scopus Apostoli princeps, ita quoque phrases haud dissimiles, Rom. VI. 19, 2, Cor. III. 18, valde confirmant.

§. XV.

Evidem existimari poterat, hæc, quotquot produximus, loca Scripturæ clarissima, *Justificationem* per fidem, eamque solam, (licet non solitariam,) expectandam esse, aperte utique docere; sed de *Universalis* duntaxat agere, ac proinde eam prædicare, qua quis non secundum Legem, quippe exactam omnimodamque, omnibus, inquam, numeris absolutam morum divinitus præscriptorum integritatem exposcentem, multoq[ue] adeo minus imperfecta & mutila qualicunque contentam probitate, sed potius ex promissionibus Evangelicis, propter Christi justitiam, credenti communicatam adjudicatamque, justus omnino declaretur, & quidem NB. ad consequendam vitam æternam, gratiam item remissionis peccatorum, adoptionisque recuperandam. In quo scrupulo & *scopus Pauli cum Judæis disputantis* nos confirmat, & nostratum, cum Pontificiis disceptantium, eo potissimum argumenta rationesque ex Oeconomia prima, seu foedere operum, redditæ spectant. Salutem certe æternam cum ea *Justificatione* constanter conjungi, atque iisdem fundamentis beneficium inniti, tantum abest, ut dubitari queat, ut promiscue etiam *Paulus*, modo salutem, modo *Justificationem* nominarit, quories de ratione percipiendi gratiam Christi Evangelica egit: Vid. Eph. II. 8. & Actor. XV. II. coll. Rom. III. 28. & Gal. II. 16. Immo etiam *justificationem* ex fide, adducto Psalm XXXII. I. sq., ubi tantum salutis fit mentio, Rom. IV. 7. sq. eum probasse constat. Unde, quicquid *Justitiae singularis* aut *particularis* alicubi cuiquam mortalium attributum est, huc neu-

neutiquam pertinere, sed ad beneficia tantum temporalia, per eam impetranda, referendum videtur. Eo præsertim loco, ubi de hominibus sermo est, jam divinitus in gratiæ saltuaris statum per fidem propter Christum receptis: quales, qui supra nominati sunt, paullo post ostendemus fuisse. Eademque, nisi fallimur, sententia fuit, B. Mart. Chemnitii a), qui, cum de facto Pinehasi differit: *Quod objiciunt, inquit, locum ex Psalm. CVI.*, ubi factum Phinees dicitur ipsi imputatum esse ad justitiam, facile explicari potest. Paullus enim ad Rom. IV. duplum statuit imputationem. Primo, quando operanti merces imputatur. Et hac imputatione affirmat personam non justificari coram Deo ad vitam æternam. Non enim uno aliquo opere persona potest justificari, quia, qui non in omnibus permanserit, maledictus est, & qui in uno delinquit, etiam si cetera servarit, reus est omnium. Alia vero est imputatio, qua persona justificatur, quando scil. justitia gratis fide imputatur sine operibus. Psalmus igitur CVI. non loquitur de justificatione personæ. Sed quia factum Phinees videri poterat triculentum, dicitur Deus illud imputasse ad justitiam, hoc est, acceptasse pro justo opere, & quidem ei imputasse mercedem, que etiam ad posteros perveniret in generationem & generationem: operanti enim merces imputatur Rom. IV. Sed illa imputatione persona non justificatur ad vitam æternam. Si quid enim judicamus, conceditur his verbis ab optimo Chemnitio, justificationem Pinehaso obtigisse; At non universaliter eam fuisse, verum, si ita loqui liceat, particularem, eamque non profuisse Sacerdoti huic laude dignissimo ad vitam æternam, sed præmium aliquod beneficiumque in hac vita mortali in ipsum posterosque hinc promanasse. Id quod nobis demonstrandum hactenus fuit. De ipsa namque justificationis hujus ratione, & formula, qua describitur l. c. a Spiritu Sancto, paullo post commentabimus.

§. XVI.

a) Exam. Conc. Trid. P. I. f. 272. Ed. Francof. 8v.

§. XVI.

Nihilo tamen minus sunt, quæ restant & male nos habent dubia. Qui factum nempe sit, ut, licet Spiritus S. a Justificatione opera, constanter & indefinite, omnia abesse velit, ita ut nullatenus in censum beneficii tanti procurandi aut applicandi venire queant, et si acceptum patefaciant; tamen in ll. cc. in Justificatione quasi particulari determinato ad ea respexisse dicatur: non ut approbaret tantum, aut pro sua, qua solet immensa benignitate remuneraretur (cujusmodi remuneratio etiam haud regenitis v. g. Nebucadnezari ejusque militibus Ezech. XXIX, 18. interdum contigit) sed ita, ut nonnullis tanquam justitiam imputaret. Dissimulare enim non possumus, ea quæ de Pinebaso referuntur, quamvis cetera cuncta faciliora essent expeditu, crucem hac in re in primis scrupulosis figere posse. Quod ad Hiobum enim attinet non inficiamur, eum cum peccatoribus atrocioribus comparari, atque ita non tam justum, quam *justiorem*, minusque gravibus delictis, quam amici reliqui erant, contaminatum pronunciari. Ceteroquin vide Cap. III, 1. sq. & XXXIX, 2. sqq. Sic quoque Davidem liberationem sibi pollicitum, a Patre coelesti jam conciliato, ejusque curatelam ambientem, quippe de spirituali gratia jam satis certum, ut *infontem* tantum, in causa particulari, spectari aut reputari voluisse ad potuisse, res ipsa demonstrat. Neque etiam justificationis vocabulum de eo diserte propemodum usurpatum tantam difficultatem creat. Idemque de ceteris §. 9. citatis habendum sentiendumque esse plane liquet. At Pinehas exemplum, de quo, cædem scortantium commissam in justitiam ei imputatam esse, conceptis verbis legitur, fructumque etiam hujus rei durabilem ultra hominum memoriam continuatum fuisse notum est, atque ipsa proinde phrasis, Justificationem aperte & constanter sonans, legitim, videtur

videtur omnino particularem aliquam justificationem adstruere. Neque sane obstat, quod Abrahamo credenti, & ex fide **צְרָקָה** dicitur Gen. XV, 6. adjudicata, cum Pinehaso **לִצְרָקָה**, mutata quodammodo constructione verbi cum nomine factum illud heroicum aestimatum sit. **Paulus** enim, quando illustre illud Abrahami documentum fidei eminentissimum allegat, suæque demonstrationi, quam format, Rom. IV, I. sqq. & Gal. III, 5. substernit, priora Geneseos verba, **εἰς διαγνώσκων**, transferendo, nihil, aut parum, discriminis in constructione utraque positum esse, subindicavit, aliæque formulæ loquendi, e. g. Num. XVIII, 27., ubi **decimæ decimarum**, a Levitis traditæ Sacerdotibus, **pro decimis ex horreo depromtis baberi** dicuntur, amplius stabiliunt.

§. XVII.

Quæ cum ita comparata fint, & *Declaratio quædam particularis*, de Justitia Sacerdotis laudati, locum adhuc habeat, eademque ex locis citt. reliquis, aliis quibusdam hominibus patiter, atque actionibus eorum, ita contigisse appareat, ut pro justis quodammodo, & in certo quodam casu, aestimati sint divinitus; tota tandem disputatio ad *Fundamentum Divini istius Judicii seu Cogitationis aut Aestimationis* devolvetur, nodusque præinde, salva & incolumi analogia fidei, hinc etiam solvendus erit. Id vero, ut exequamur, quatuor potissimum observationes præmittere animus est, & res ipsa quoque exposcit. *Primo* enim demonstrandum esse putamus *Justificationis*, quæ ex fide existit, salutiferæ, non augmentum, at continuationem per omnem vitam ad pium usque discessum, in regenitis requiri, iisdemque, nisi sponte suæ gratiæ statum ipsum defecerant, candide etiam promissam esse. *Deinde* eos, quos *Justificatione illa*, quam vocant, particulari mactatos esse S. literæ testificantur, revera **ex Ira statu naturali & flebili**, in gratiam super-

D

supernaturalis regenerationis transductos atque ita jam justificatos quoque fuisse, æternæque hæreditatis, qua jus ad rem, participes. Porro etiam illud breviter incumbet ostendere: bona regenitorum Opera Deo revera placere atque pro Justitia aliqua haberi, eademque vero nihilo secius imperfecta, manca & justitiae titulo per se minime digna esse. *Ad postremum denique*, quicquid contingat servis hujusmodi Christo fidelibus beneficii, non ipsorummet, sed solis hujus Servatoris Propitiationi adscribendum, eique omnia in solidum accepta ferenda, condocefaciemus. Quo facto neutiquam dubitamus fore, ut quæcunque nos premant difficultates, luce quasi accensa, dissipentur, neque etiam dissidentibus a Veritate Evangelica, pro erroribus incrustandis, exinde quicquam commodi exsurgat.

§. XVIII.

Ad continuationem itaque Justificationis quod attinet, quæ, sicut & ipse Deus, tantum una est, & uniformis, inque omnes vitæ præsentis dies, ex divina destinatione, per se porrigitur, tanto facilius ea demonstratur, quanto luculentius Paullus, non solum recipi in gratiam credentes, asserit, sed etiam jam receptos in eadem persistare per fidem Rom. V, 2. & XI, 20. condocet, *finemque fidei*, ipsum salutis æternæ gloriae *Xáρισμα* adeundum, Petrus I. Ep. I, 5. & IO. immo Christus ipse, Joh. III, ult. disertis verbis statuit. Quam etiam ob rem justitia non sua, sed Christi Jesu, fide tamen *εν τληωματος τε χριστου* sumta & applicata, secundum gratiæ Evangelicæ oeconomiam, non minus Abrahamum in V. T. quam Paullum ceterosque Apostolos omnes, postquam jam dudum justificati fuerant, deinceps adhuc, cum, gratiæ viribus collatis, bene & laudabiliter vitam agerent secundum legem, constanter nimnos esse, ex Epist. Rom. IV. & Phil. III. itemque Act. XV. perspicere iterum iterumque licet. Ut omittamus illustrissimum Paulli

Pauli assertum, quo gratiam regnare per justitiam ad vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum, Rom. V, 21. asseveranter & sine addita limitatione ait. Atque hinc præclare Seb. Schmidius a) Becano, secundam objicienti per augmenta justificationem: *Male ita distingui*, respondet, uniformem enim in Scriptura esse hominis peccatoris justificationem, inquiens: Qui & p. p. addit: *Diversos quidem esse unius in suo genere Justificationis actus, vel, si malis ejus Continuationem, nullo autem modo diversas species*: atque hinc porro concludit: *Quemadmodum ergo in primo Justificationis actu justificatus est homo peccator, ita justificatur in secundo, tertio & pluribus, quotcunque etiam fuerint: atque adeo justificatio in se & sua natura una est, licet in suis distinctis actibus quotidie & millies iteretur & continuetur.* Deus certe O. M. nisi homines födere gratiae excidant, idemque ultro deserant, semper sibi constat 2. Tim. II, 13. nec pœnitentia justiæ ac clementissimi judicii sui ducitur, (Rom. XI, 29.) neque vel minima ex parte in sententia quoque lata (Jac. 1, 7.) mutatur. Unde non minus perspicue, quam solide B. Spenerus b): *Wie die Gnade Gottes, scribit, den ersten Augenblick meiner Bekehrung durch den Glauben aus Gott auf mich gehet, und ich solcher Vergebung und darinnen der Gerechtigkeit Gottes zu geniesen anfange, also den andern Tag, Monath und Jahr, und immerfort, als lang ich solcher Vergebung und Gerechtigkeit geniesse, ist sie immer ein Ausfluss aus Gott, und nicht anderst als w wäre sie in diesem Augenblick erst geschehen. Daher, so lang ich in dem Glauben stehe, wird solche Rechtfertigung fortgesetzt, und da aufs neue absonderlich mein Glaub sich wieder an solche Gnade mit einem neuen actu hält, ist wieder eine neue Rechtfertigung, wie die Sonne zuweilen, da sie gleichsam etwas unter den Wolken verborgen gevven*

D 2

sen

a) *De Justifi. Tr. Disp. I. §. 19. f. 22. Conf. Höppfner Disp. I. de Justif. Aporism. X §. 56. fg.*
 b) *Tr. illustr. de Justitia Fidei Cap. VIII. §. XVI. f. 1171. : Ubi etiam egregium locum B. Calovii ad Gen. XV, exscriptum dedit.*

sen, aufs neue ihre Strahlen, die doch nie ganz vveg gevvesen, aber nicht so gefühlet wvorden, schießen lässt. De continuatione itaque justificationis per fidem & imputationem alienæ justitiae perfectissimæ, ad extremum usque vitæ halitum confirmatæ, res omnis plana & expedita est. Imo denuo aliqua *Justificatio*, si ad momenta temporis referatur succendentia, *Particularis*, singulis quasi momentis repetita, hinc exsurgit.

§. XIX.

Quodsi amplius inquiramus in eum statum, in quo David, *Hlob*, *Pinebas* & reliqui constituti fuere, cum particularis illius Justificationis indulgentissimum Numen divinum eos dignaretur, non arbitramur sane, quenquam dubitaturum, per gratiam Christi fidei cunctos jam tum fuisse justificatos, seu Justitiae Fidei & remissionis peccatorum participes factos. Ut enim de Davide taceamus salutiferæ illius fidei inclyta testimonia, quæ sunt, extra tristissimos lapsus, a quibus tamen idem quoque surrexit, divinumque favorem per veritatem Evangelii recuperavit, annotata & deprædicata; *Hlobi* profecto tam illustria, fidei non vulgaris, divinæque amicitiæ, præsto sunt documenta, ut non tam de statu Gratiae, in quo etiam vehe-mentissime exagitatus perfstitit, quam unde tam præclara veritatis salutaris agnitus ei illuxerit, dubitare, aut mirari potius, liceat: Nisi ex posteris Patriarcharum Triumvirorum, uti quædam obscuriuscula subinnunt vestigia, Gen. XXXVI, 35., fuisse suspiceris. Nec de *Daniele*, & si qui sunt alii, supra laudati, secus existimandi caussa est. De solo igitur *Pinebaso*, cum scrupulus adhuc superesse possit, adhuc dispiciendum est. Sed ne hunc quidem e numero filiorum Dei, & in gratiam Evangelii receptorum, excludendum esse patet. Partim, quia, præter educationem & familiæ præstantiam, fructus fidei ejus haud contemnendi, & de sinceritate, vividaque indole, hujus divinae lucis, manifesto testantes, editi sunt, qua præsente non pot-

est abesse, *Justificatio*, ex Oeconomia divina clementissima, ut effectum cum causa sua arte connexum. Partim etiam insignis illa Paulli testificatio id confirmat, qui, tametsi nominetens *Pinehas*, in illa fidelium nube Hebr. XI. proposita, haud meminerit, ejus tamen singulare hoc factum divinumque *κατίφερος*, de quo agimus, particulare, *Justitiæ nobilitati* titulo condecoratum, inter alia, ut opinamur, commemoravit. Neque enim, quando comm. XXXII. aliquos conjunctim nominat, interque eos numerat, qui *δικαιούντη εἰργάσαντες*, commodius ad alium id specimen fidei referas, quam ad celebrissimum illum Aharonis nepotem. Paullus namque, ut recte observat B. Seb. Schmidius, a) *non vulgares fidei effectus hic recenset, sed singulares & insignes*, quales non temere alibi tam præstantes, non prudentiæ inquam, sed fidei fructus, quam in eo *Pinehas* eximio facinore, deprehendas, a Sp. S. jam ante *Justitiæ* nomen adepto. Idque etiam non injuria heic inter alia hujusmodi documenta, quorum auctores non distincte antea nominati erant, & primo fere loco ponitur, quia jam alias a Spiritu divino deprædicatum fuerat, atque hinc nemini facile poterat esse incognitum. Consequens ergo est, non minus hunc sacerdotem Dei, quam ceteros *Justitiæ* fidei, aliorumque beneficiorum inde profluentium, in Christo Servatore promisso, fuisse participem, ac proinde per illam, de qua nos loquimur, *Declarationem particularem*, quippe subsequentem, non demum consequi salutiferam *justificationem*, hæreditatemque vitæ æternæ potuisse.

§. XX.

Ad ipsa *Regenitorum Opera* si pergamus, ea non displicere Deo, si bona sint, sed probari, gratissimaque esse, multa demonstrant. Etenim non solum promissa est iisdem, ipsisque

D 3

fan.

a) Comm. in Epist. ad Hebr. ad h. l. f. 1255, med.

sanctis, quorum sunt ornamenta, bene operantibus, *κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν*, hujus pariter & alterius vitæ felicitas. I. Tim. IV, 8. Hebr. VI, 10. sq. I. Cor. XVI. ult. Apoc. XXII, 12. Quamvis ea utilitas non sit meritoria proprie sic dicta, sed ex promissione constanter meritis opposita Gal. III, 18. promanet, atque merces inde gratuita & ἀνταπόδοσις πληγονομίας audiat Col. III, 24. Verum etiam aperte, si quid boni a fidelibus piisque fiat, id acceptum (*απόδειτον*) coram Deo esse, itemque eum *τυφεσεῖθεν* seu præstari Deo τὰ ἄρεσα I. Tim. V, 4. Hebr. XIII, 16. Rom. XII, 1. seq. I. Joh. III, 22. affirmatur. Ita vero illa placent, ut nihilominus imperfecta esse, & *κατὰ τὸ ἀντιθεσθέντον τὴν κούνια* multa ac manca, haut ignoret Deus, neque nos etiam diffiteamur. *Actuosissimum enim illud malum Pecc.* Orig., quod etiam optimis renatorum operibus labem affricat, & quo minus legi, immunitatem a concupiscentia postulanti, respondeant, efficit, ut recte B. Rappoltus a) inquit. Cujus defectionis, a perfectione omnibus numeris absoluta, adhuc clariorem Augustinus b) rationem reddit, quando Legis (summa) perfectio consistit in primo, ait, & ultimo preceptis: *Si quid desideretur in alterutro horum, licet in aliis ut cunque aliquid sit præstitum, non est perfecta obedientia, nec meretur titulum justitiae.* Ipse vero Sp. S. in Kohel. c. VII, 21. neminem esse, qui, cum bene facit, non pecet, afferendo, luculentissime & universe eadem constabilivit. Pluribus autem querimoniae sanctorum, quotquot cogniti sunt, omnium Rom. VII, 17. sqq. Gal. V, 17. Hebr. XII, 1. I. Joh. I, 8. (cur Es. LXIV, 6. omittamus, jam alibi caussa redditum est,) & similes, cum consideratione caussæ non sine difficultate agentis, comparatae ostendunt. Denique & Norma, graduum non minus quam partium & perseverantiae integritatem nunquam non exposcens, haud esse Opera fidelium, quantumvis Spiritu regenerationis duotorum, *πεπληρωμένα* (Apoc. III, 2.) confirmat. Quam etiam

a) *Comment. in I. Joh. III. Opp. T. I. p. 339.* b) *Epist. ad Celestinum.*

etiam ob rem, eoque sensu, Opera quoque Regenitorum bona Peccata esse, immo non solum peccata, sed etiam mortalia, sec. Legem puta, si contempleris, non Evangelice, aut, quod eodem recedit, non ratione formæ absolutæ & essentialis, seu qualiscunque conformitatis cum lege, sed accidentalis aut soridum & nævorum adhærentium ratione spectata, tam a B. Luther, quam aliis Theologis recte dictum esse, & ipsi asseveramus, atque vulgare illud Augustini: a) *Va etiam laudabili hominum vite, si misericordia remota discutiatur*, iterum iterumque repetimus.

§. XXI.

Quidnam vero illud sit, quod imperfectæ regenitorum, inque Christo fide recumbentium, sanctitati suppetias quasi ferat, & velut sale adsperso sapidam Deo reddat, si tandem inquiras; ~~erueatur~~ esse divinam 2. Cor. X, 1. Servatori nostro attributam, quam etiam omnes Christianos imitari jubet Phil. IV, 5. Paullus, planum est. Porro non dubitandum, quin benignus iste Affectus, mutilo actionum rectarum, secundum ~~amplectetur~~ legis, effectui accedens, haud aliunde, quam ex Evangelici pateti suavissima indole derivandus sit. Hinc namque factum est, ut non Legis quidem *exigentis* ipsius rigor jam sit in N. T. per seculis illud temperatus: neque enim de ea Paullus, qui ad Rom. VII, 14. Spiritualem adhuc appellaverat, aliter Gal. III, 10. sq. quam ipse quondam Moses, sermocinatur; sed *exequentis* quasi Dei severitas in Sanctificationis progressu mitigata appareat. Quam in rem pulchre & perspicue B. Spenerus b) *Heißt es dorten*, scribit, (digitum ad objectum sibi cum Arminianis, Socinianis, Stengerio, &c. consensum intendens) *sblech-terdings, dass Gott nicht mehr nach dem Evangelischen Bund fodere,*

fo

a) *Confess. L. IX. c. XII. b) In Vindic. Orthodox. sue contra Hartnac. §. 38. f. 129.*
fqq.

so lassen vvir die Göttliche Foderung in ibrer Strenge, und erkennen
 nachmahl, (in Artic. Renovationis) so zu reden, bey der Bezah-
 lung einen barmberzigen Nachlass und Geschenk. brevius idem
 nobis his verbis enunciari posse videtur: Moderationem istam
 non consistere im Anfodern, sed im Einfodern oder Eintreiben,
 quod vulgo das Exequiren vocare solent. Quo modo haud
 dubie intelligenda sunt duo, quæ succurrunt Virorum per-
 spicacium asserta: Alterum Augustini, qui, omnia tunc mandata,
 ait a), facta esse deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur: Al-
 terum Bernhardi, b) cuius, Non peccare, Dei iustitiam esse, homi-
 nis iustitiam, indulgentiam Dei, ζέιον πρόσευτον paucim occurrit. Si
 amplius caussam hujus indulgentiae scisciteris, ob quam ea ho-
 mini cum Deo jam conciliato concedatur & obtingat, solum
 Christum ejusque obedientiam perfectissimamque iustitiam
 ipse Spiritus S. monstrat: quando non tantum εν αὐτῷ omnem
 benedictionem spiritualem nos nancisci Eph. I, 3. affirmat, ac-
 ceptosque propter eum Deo reddi, ibidem confirmat: cuius-
 modi jam ante e cœlo Patris Domini nostri J. C. Matth. III. v.
 extremo, vox audita fuerat; sed etiam alibi Sacrificia nostra,
 spiritualia, interque ea nominatim Laudes Deo redditas, Bene-
 ficiantiam, ac similia εὐπρόσδειτα, perquam grata esse Deo διὰ τὸ
 Ἰησὸν Xριστὸν I. Petr. II, 5. & Hebr. XIII, 15. diserte pronunciat.
 Cuius beneficij cœlestis indulgentissimæque voluntatis divi-
 næ Gal. III, 13. sqq. ratio luculenta redditur, quod Maledi-
 cito legis a credentibus, per ea, quæ Christus pro nobis tole-
 raverat, ablata, & in benedictionem infinitam Eph. I, 3. conver-
 sa sit. Quibus ita comparatis, quod superest, per nos licet,
 disceptent, quibuscumque παραδιαρέσσω placent: Utrum supple-
 mentum illud Evangelicum, ex Christi merito petendum, fide-
 que viva jam applicatum, & continuo applicandum, Positi-
 vum

a) L. II, Retractat. Cap. XIX, §. 5. Edit. Bened. Parij. b) In Cant. Cast. Serm.
 XXIII, coll. preced. XXII.

(33)

vum sit, an *Negativum*, h. e. (ut brevibus explatiemus litem,) Fiatne applicatio Christi justitiae, in sanctificatione ad examen revocata, eo modo, ut *ajente formula, & conferendo*, dicendum sit, imperfectam hominum piorum & justificatorum justitiam inchoatam pro perfecta propter Christum haberi: an negante loquendi forma satius sit dicere, infirmitates & maculas morales adhaerentes, non imputando eas, propter Christum, tegi? Revera enim haec ad λογονυχια, magno licet animorum motu sint aliquando agitata, pertinent, a quibus, consortes ejusdem potissimum fidei, abstinere jubet Apostolus. Non tamen dissimulamus, formam loquendi posteriorem, qua non imputando defectum expleri perhibetur, ad evitandas Adversariorum abusiones, & Patronorum Acceptilationis minus sanæ, in ipsum scil. Articulum Justificationis ingerendæ, laqueos declinandos, multo commodiorem esse. Nobis in præsens satis est, nostris haudquaquam eam Approbationem meritis, ab ipso quoque Jacobo c. II, 10. seqq. efficacissime prostratis, sed unius Christi, tanquam vitis & capitis immensa nos benedictione beantis, suaque affluentia ditantis, virtuti & πληρωμαι, unde quicquid hoc est, Fides depromit, Joh. I, 16. acceptum ferendum esse, eaque paterna Dei Bonitate τετρά Rom. VIII, 1, quamdiu non sua culpa gratiæ hujus felicitate exidunt, nunquam non perfrui.

§. XXII.

His ita expositis, proclive erit, tandem etiam ad primariam de *Justificatione particulari* quæstionem: *Sitne aliqua admittenda nec ne?* accuratius, quam supra fieri poterat, respondere. Etenim, si nullus omnino, neque regenitorum sanctorumque, actus ad Legis rigorem exactus, sine nævo, labe aut macula usquam existit, jam satis quoque expeditum censemus, nec *Justificationem* coram Deo Judice, stricte & secundum

E

anpe.

προσδικων Legis judicante, sive Universalem, sive *Particularem*, aut singularem etiam, usquam reperiri: nisi eam, quae in Christo deposita, ex ejus perfectissimo merito hausta, nobisque, si in Filium Dei credamus, adjudicatur & promissa est Isa. XLV, 24. 25. I. Cor. I, 29. sq. &c. Ex quibus amplius consequitur, si, quod abunde est demonstratum, per Fidem propter Christum, cujus sunt participes facti veræ sanctimoniae, quotquot unquam vixeré, studiosi, jam fuerunt justificati, h. e. justitiam Christi imputatam sibi, & condonationem hinc peccatorum omnium, cum salute æterna, adepti, *hoc modo & sensu*, cumque in finem ne potuisse quidem, atque etiam nunc posse, qui similiter Remissionem peccatorum adepti sunt, justificari; nisi qua continuationem, quoisque in statu regenerationis perseverarint: de qua re jam saepius actum est. Utrum vero ob Justitiam Sanctificationis consequentem, aut, si mavis, studium sanctitatis inhærentis & inchoatæ, (cujus certe habendo rationem multis in locis regeniti *Justi* quoque dicuntur & pronunciantur a Spiritu divino,) *Justificationem* quandam, certo quodam generali sensu, *Etymologico*, attamen forensi & *Scripturæ stylō* non prorsus adverso concedere, aut potius ita loqui conveniat? id profecto altioris videtur esse indaginis. Evidem certum est, & inter nos tristis pariter ac saniores Reformatos *ξεγώνων*, nullatenus *Judicium* hoc *Dei paternum*, de sanctorum filiorumque suorum factis, cuiusmodi Davidica erant, Pinchasi & aliorum plurima, si qua *Justificationis* nomine, propter *Declarationem* e throno gratiae Evangelicæ profectam, insigniri queat, solemniori, ut ita loquar, & antegresso, de recipiendis in gratiam, remissione peccatorum propter Christum maestandis, & in numerum candidatorum æternæ beatitatis cooptandis, æquiparandum esse. Neque de eo dubitamus, quotiescumque hujusmodi imperfecta *Actio*, sive interna sive externa, a credentibus proficiuntur toties

ties per iteratum quasi *pæniteniam* τῆς ἀμαρτίας τῆς Χριστοῦ, ad analogiam typicæ, in V. T. observatæ in sacrificiis adipersionis, fieri applicationem, ac proinde etiam Justificationem, pro peccatorum Remissione sumtam, contingere. Conf. Hebr. X, 22. coll. v. I2. & I4. *Ein reines Herz*, (ait Celeberr. quidam Theologus a), braucht Jesu Blut überall, nicht nur in der ersten Abwâchung, sondern auch in der täglichen Besprbung, -- und findet also nebst der Heiligung eine immer fortgesetzte Rechtsfertigung, welche der Heiligung erst ihre rechte Reinigkeit und Würde gibt, als die ohne sie nichts wäre, &c. At enimvero, num eodem Nomine, et si non eadem prorsus sententia, hic ipse actus Judicii divini, de Justitia fidelium inhærente, particulari & placente seu ipsis operibus placentibus, quo prior de Justitia impurata, universe bonitati Evangelicæ & sanctitati divinæ respondente & placante, appellari possit, illud, fateor, nondum liquet. Sola ergo *analogia* Scripturæ, uti docentis, ita quoque dicens aut loquenter, supereft. Quam si consulamus, nunquam eam nomenclaturam de Justitia inhærente illic occurrere, aut de regenitatis, eadem illa justitia, qualitercumque præeditis, usurpari, nisi qua demonstrationem & ad notitiam aliorum patefactionem, fateri oportebit. Atque hinc satius tutiusque esse, ut & nos ab ea abstineamus, concludendum erit. Dicam vero scribendam esse iis, quos supra adduximus, qui easi sunt, tanto magis veremur affirmare, quanto minus veritus est ipse Spiritus S. augustissimam phrasin: *Imputatum est ipsi* (non factō duntaxat, sed ipsi quoque facienti) *in justitiam*: de Pinehaso usurpare, ac proinde justificationis alicuius eum, ob particulare facinus, objectum seu terminum constituere. Hujusmodi ergo πρῶν, si quis usurpantium diligenter & circumspecte explicit, atque a Justificatione, ex usu loquendi proprie & nat' ἔχον sic dicta, pruden-

z) D. V. E. Löscher in Decimis Evangel. P. III, num. VII. fo. 44. sgg.

ter & perspicue secernat , tanto dignior erit tolerantia atque excusatione , quanto clariora in æquivalente phrasi præsto sunt Spiritus S. vestigia ; tametsi imitationem non limitatam , aut promiscuum usum secundariæ notionis , in Ecclesiam eapropter neutiquam suadere ausimus introducendum aut frequen-tandum .

§. XXIII.

Quæ dubio procul vera quoque & genuina caussa est , quare Nostrates , & Reformatarum etiam partium plerique , dedita opera atque laudabili τῶν ἐγγαρίτων λόγῳ studio , in hunc usque diem ab eo modo loquendi abstinuerint , maluerintque *Ac-ceptionem* aut *Approvalationem* solummodo justitiæ particu-laris & inchoatæ vocare , quam *Justificationem* , quoties de sanctissima indulgentissimaque operum , aut factorum a sanctis , *Æstimatione* sermo incideret . Inter nostros placet vel unum adhuc *B. Rappoltum* in testimonium vocare a), qui , postquam concederat *Eſtio* , phrases , *coram Deo* , *ante Deum* , *in conspectu Dei* , & similes , *Luc. I. 78. Act. X. 4. XXIII. I. Act. XII. 17. 2. Cor. VIII. 21. I. Joh. III. 22.* de justitia quoque inhærente (regenitis puta per sanctificationem) aliquoties in Scriptura sacra legi , non tamen judicium illud divini Numinis εὐτοῖος εὐδοκεῖται alio quam *Approvalationis* & *Acceptationis* nomine appellavit , & mox subjunxit : *Verum, ut justitia, qua justificamur, longe distat a justitia inhærente, qua renovamur, ita & Acceptatio justitiæ inhærentis sive operum bonorum longe distat ab Acceptatione personæ, quatenus justitia Christi per fidem ei imputatur.* Idemque acutissimus Theologus , quamvis non tantum bona opera , sed & personas ipsas jam justificatas p. p. ratione istorum operum a Deo acceptari , fateatur , nec inficietur , utramque esse Dei actionem , justificantis nempe & approbantis mores regenitorum ; multis ta-

a) *Comment. in I. Joh. III. 7. & 8. Tom. I. Opp. f. 321. f. 3.*

tamen modis quoque utramque differre ostendit 1.) quoad *diversos actus caussæ efficientis*, secundum rigorem aut *éminetiam* iudicium ferentis. 2.) ratione ordinis, quo requiratur, ut acceptatio altera priorem sequatur, quia non nisi placata persona opus ejus placere possit, 3.) *Objecti in equalitate*, quatenus illa *Universalis & perfecta* sit justitia, hæc *imperfecta* in se, quæ pro perfecta tamen acceptetur; 4.) denique in respectu ad *modum placendi Deo*: cum enim prior valeat ad justitiam & vitam æternam, hanc placere tantum, *uti ex parte congruat cum norma vivendi*, & a persona reconciliata proficiscatur. Nullibi tamen Justificationis particularis, immo ne justitiae quidem particularis, cum vi oppositionis potuisset ac debuisset, meminit, & constanter potius approbationem personæ bene & pie agentis justificationi subordinat, ac subordinando quodammodo opponit. Tandem etiam concludit, hinc patere, eos, qui faciunt justitiam, sive in studio B. O. se exercent, justos esse etiam coram Deo, illorumque justitiam coram Deo acceptari; sed ad *Justificationem & salutem* acceptari & in stricto Dei iudicio acceptari, id vero nuspian scriptura docet: in hoc enim sola, inquit, *justitia meritoria & universalis & perfecta ad justificationem & salutem* acceptatur. Hactenus Rappoltus. Cui, sed brevissimis, ipsum *Calvinum* adjungimus, qui, in eruditio *Opere Instit. Relig. Christianæ* a) adducto inter alia loco Act. X, 34.35. ubi demonstrasset, in Cornelio jam ex abyso perditionis reducto & per gratiam adoptionis segregato, Dominum novam creaturam cum Spiritus S. donis amplexum esse, postea, atque hæc, pergit, illa est *acceptio*, cuius meminit Petrus, qua post suam vocationem, (sub qua & justificationem comprehendit) Deo fideles approbantur, operum quoque respectu, quæ (ut addit) in Christo magis, quam in se ipsis amplexatur. Et §. 8. ad ipsum locum Psalm **CVI.** commentaturus: *Aliud est*, inquit, *disputare*, quid

E 3

per

a) L. III. c. **XVII.** §. 4. fqq.

per se valeant opera ; aliud, quo loco post stabilitam fidei justitiam habenda sint. Si operibus statuendum est pro dignitate sua pretium, indigna esse dicimus, quæ in conspectum Dei prodeant, ideo nihil operum habere hominem, quo apud Deum glorietur : inde omnium operum adminiculo exutum sola fide justificari. -- Præposita peccatorum remissione, quæ jam sequuntur B. O., aliam quam a suo merito estimationem habent, quia, quicquid in illis est imperfectum, Christi perfectione contègitur, quicquid navorum est & sordium, ejusdem puritate abstergitur, ne in judicii divini questionem veniat. Et quanquam §. IO. non partiale modo in operibus justitiam concedat, sed perinde etiam approbari Deo, afferat, ac si perfecta absolutaque foret ; imo etiam addat : Ita merito dicere possumus, sola fide non tantum Nos, sed Opera etiam nostra justificari, nunquam tamen personis, habita hujusmodi operum ratione, particularem justificationem, sed constanter approbationem tantum adscripsit, Pontificiosque varia hinc exsculpturos false & ingeniose derisit.

§. XXIV.

Hinc vero adhuc luculentius efficitur, quam temere *Brads-havius*, &c, qui eum sequutus est, *Christ. Wittichius*, afferant : *Impios* quoque justificationis coram Deo particularis, immo ipsum quoque *Infernalem Genium*, quatenus ab accusationibus quibusdam immunis videatur, capaces esse. Nam, quantum ad Dæmonem malum, quia gratiæ Evangelicæ, cum universa cohorte sua, nunquam particeps fuit, aut futurus est : *To γε ἀπόστλον καὶ αὐτοπεντετέρῳ a) Hebr. II, 15. sqq. coll. 2. Petr. II, 4. ne de gratiæ quidem Acceptatione Justitiæ heic cogitari potest.* Tantum abest, ut pro justo vel ex actu singulari declarari queat, aut qualicunque, etiam particulari vel singulari,

cum

^{a)} Vox est Gregor. Nazianz. Ep. ad Celenod. Tom. I, Opp. Orat. 51. & ex eo. Damasc. L. III, de Orth. Fid. c. VI.

cum Lege Dei conformitati, locum faciat universalis ejus, cur
jus mala mens est, malus animus, impietas. Nec est, cur
Wittichius eatenus justum, particulari justitia, aut innocentia
quadam, dici posse objiciat, quod saepenumero ab hominibus
improbis accusetur, ac si ad scelera instigasset, quæ tamen de-
liberato consilio & plena voluntate ipsimet commiserint.
Quamvis enim *actu directo non agnoscos*, in hujusmodi casu, non
semper ab eo concitat ad vitia, delinquent mortales; non ta-
men Diabolus idcirco justus aut innocens, respectu singula-
rium ejusmodi quoque actionum, haberi potest: quippe qui
ad facinora hujusmodi sceleratissima patranda exstimulandi
voluntate universalis nunquam non quasi turget, ac proinde,
ut vires desint, consensus certe studiumque id faciendi enixum
I. Petr. V, 8. nunquam deficit. Ne quid dicamus, peccatorum
omnium radicem ab eo positam venenatam, semenque deli-
ctorum quoruncunque, cum labore geniali, in corda cuncto-
rum Adami posteriorum, naturaliter natorum ab eodem aucto-
re inspersum esse. Ex quo, quicquid hinc provenit mali, re-
ste *Opus Diaboli* secundum I. Joh. III, 8. appellatur, nullam-
que omnino innocentiam, ne quidem ratione modi & sugge-
stionis universalis, sine *anagnoroxiâ*, multoque minus justificationem,
sine offendiculo, ei tribui posse evidens est. Bene
hinc idem, quem paulo ante laudavimus, B. Rappoltus a):
Tametsi multa peccentur, inquit, *sine Diabolo, recte tamen pec-
cata omnia in Diabolum transferuntur*. Quorum prius, poste-
quam ex libertate arbitrii humani & finita natura Diaboli probas-
set, de posteriori porro scite differit: *Quamvis primas suggestio-
nes peccatorum, non immittat, (hæ enim internum sui principium
concupiscentiam agnoscunt,)* tamen quia primus peccavit, Et
ad peccatum illexit primos parentes, recte peccatorum omnium
causa, si minus proxima, at remota appellatur. Unde & ab ini-
tio

a) Tom. I. Opp. Theolog. ad I. Joh. III, 8. f. 323. sq.

tio Diabolus peccasse, & qui faciunt peccatum, ex Diabolo esse (non nascendo, sed imitando) perhibentur. Transferuntur ergo omnia peccata in Diabolum, etiam ea, quae sine Diabolo peccantur, partim tanquam in exemplum, & quasi prototypon, partim tanquam in causam remotam. Quia enim morali suaitione primum hominem ad peccandum induxit, & per unum illum hominem peccatum (originans & originatum) in mundum intravit, Rom. V, 12, quicquid inde peccati nascitur, & tanquam ex infelici arbore propullulat, recte illi quoque, ut primo Auditori, imputatur. Falsum igitur est, quicquid de Justificatione particulari etiam Dæmonis, quantus quantus est, injustissimi, non sine scandalo asseritur: utpote cui neque generalissimam vocabuli notionem, aut potius abusionem, & vix a specialissima cooperatione immunitatem convenire liquet.

§. XXV.

Ad impios homines quod attinet seu *non Regenitos*, de istis non magis affirmandum est, qualicunque Justificatione (sive Declaratione pro justis), si ita loqui liceat, factorum particuliari, quamdiu in eo statu lugubri permanent, potiri posse, quam de ipso malo Dæmone: utpote *ex quo tanquam Patre iniuitatis & ipsi sunt*, Joh. VIII, 44. ejusque hinc, ut imaginem indolemque referunt, ita quoque juribus fruuntur. Hi *arbores malæ sunt, cuiusmodi, judice ipso θεωρητῳ Sospitatore, bonos fructus proferre omnino nequeunt*. Matth. VII, 18. Et quamvis Paullus divinæ mentis interpres Tit. I. ult. *puris, h. e. sanguine Christi per Fidem peccatorum remissionem consequutis*, atque a Sp. S. inde gubernatis, *omnia munda esse ajat, impuris tamen, & extra gratiæ statum adhuc positis, mens pariter & conscientia prorsus impuræ dicuntur esse*: ita ut, quæcunque etiam agant cogitentque, non modo, quantum ad res aliqui per se indifferentes, per ipsos vitientur, sed etiam alia, suapte alias natura laudabilia, v. g. preces & eleemosynæ in peccatorum sortem conjiciantur Psalm. CIX, 7. Matth. VI. I. sqq. Nec mirum:

rum: cum, quicquid non ex fide profuit, in peccatis ponendum esse, jam dudum divinitus decretum sciamus, Rom. XIV. ult., multumque non referat: Utrum Fidei nomen l. c. pro fiducia animi Christo innixa accipias, quippe qua notione perpetuo in Ep. ad Roman. usurpatum est, atque causæ hinc nihil videamus, cur eam nunc demum dicamus ab Apostolo deserit; sive pro conscientia certa, utpote quam sine fide, in rebus divinis ejusque cultu genuino, nemo adipisci potest. Utroque certe modo actionum humanarum, ad cultum divinum relatarum, injustitiam afferit, easque apud Deum rejectaneas esse, Apostolus tuetur a) Ubiunque autem nihil nisi delicta, & quidem penes eos, qui nonnisi *Caro* sunt, Judici Deo occurunt, tantum profecto abest, ut gratus ei sit, quisquis ea sorte & conditione miserrima vivit, qualem Eph. II, 2. sq. copiosius descriptam legimus, ut potius, quemadmodum in illis, qui sunt in Christo, ἐδὲν οὐτάρεμα dicitur esse, Rom. VIII, I. in hujusmodi homine, qui Deo absque fide placere non potest, Hebr. XI, 6. nihil aliud, præterquam οὐτάρεμα, esse oporteat. Quodsi vero existimes, non omnia haud renatorum facta peccatorum turpi macula esse notanda, sed bona etiam eorum nonnulla aliquo modo appellari posse, quoniam ipse quoque Paullus testetur, τὰ τένευ Rom. II, 15. ab Ethnicis fieri: cuiusmodi actiones, quantum ad summam seu substantiam rei, non simpliciter impiæ malæque dici queant, haud equidem refragabimur, si παχυλῶς iustitiae civilis, externæque, & ad Philosophie regulas conformatæ, rationem habeas. At si accuratius omnia expendas, & virtutum hasce imagines, bonaque fortassis, sed non bene facta opera, quorūcunque irregenitorum, ad lancem sanctuarii divini, judicium Sp. Sancti stylumque Curiæ cœlestis æstimes, tum personarum, finis, & rationis formæque agendi haud immemor sis; non dubium est,

F

quin

a) Conf. Dn, D. Buddei Instit. Moral. Theol. P. I. cap. I, sect. III. S. 20.

Quin peccatorum, si non lutulentorum, qualia sunt aperta scelerata, splendidorum tamen, titulo haec quoque schemata virtutum sis maestaturus. Quod cum ipsa plurima animorum actionumque inquinamenta nævique evidentissime probent, tum vero maxime Bonorum operum definitio Paullina Phil. I., II. multis modis a Philosophorum scholis discrepans, confirmat. Quando igitur illa tantopere prædicata rā rē rōuz. subinde obvia, & honestatis naturalis stimulos quosdam, in hominibus quoque corruptissimis, superstites indicantia, ne quidem rōuz. I. Tim. I, 5. sana & recte comparata sunt, multoque autem pejus ea Psalmus XIVtus describit; quid statuendum sit, ubi sanctissimum, omniscium, accuratissimumque Numen de illis, non ut Auctor Naturæ, & in foro eodem quasi occupatus, sed ut gratiæ Arbiter & obedientiae Evangelicæ censor, (a qua vita miseri illi sunt ἀπολογουμένοι Eph. IV, 18. coll. II, 12.) sententiam tulerit, non obire efficitur. Consequens ergo erit, neque impios, nisi forte in foro externo, humanoque, constitutos, ab hominibus, longius haud prospicientibus, neutquam vero a Deo, acutius cernente, in caussa quoque particulari, iustos haberi, declarari aut pronunciari ullatenus posse: quippe de quibus universim, actionibusque eorum, etiam singulis, jam contraria omnia pronunciata sunt, ac proinde, neque in hos Justificationem illam particularem, quantumvis latissima notione & naturæq[ue]m convenientire liquet. Nec est, quod in omittendis, vel omissis, tamen *Innocentiam* hujusmodi aliquando locum habere, amplius pertendas. Quandoquidem in eo quoque casu Peccati cuiusque semen, intus delitescens, a) & quo minus effreni impetu prorumpat, ut curique cohibitum, etiam, ubi nihil egisse videntur mortales miseri, quo minus tamen *Insontes* atque eatenus justi sint; dum, velut anguem in sinu, idem puta illud delictum occultatum *habent*, efficit, justumque:

a) Conf. Joh. Arndii *Verum Christianismi*, L. I. c. II.

que vel hunc in modum quemquam declarari particulatim posse, haudquaque patitur.

§. XXVI.

Reliquum est, ut, quæ sit nostræ, in sentiendo pariter ac loquendo tantæ sollicitudinis causa, edifferamus. Ea vero non alia est, quam sancta intemerataque, doctrinæ, omnium, quas Theologia revelata explanat, eminentissimæ, de Justificatione, ex unius soliusque Christi Propitiatormis infinito merito, per Fidem solum, nostra ex parte requisitam, obtinenda, perque eam quoque retinenda, integritas atque incorrupta puritas. Cum ex eodem fonte, verba repetimus Cl. D. Jägeri, a) Adversarii, vellicent, aut vellicare possint imputationem meriti Christi in Artic. de Justificatione, qui inter palmarios est nostræ fidei, ideo res ex imis fundamentis examinanda erat, ne concedendo minus noxia, v. g. formam loquendi, utcunque excusandam, aut eam suadendo vel commendando, aditus pateat ad mortifera. Theologia enim corpus est, in quo, si aliquod membrum inficitur, gangrena per universum metuenda est. Cum primis vero, ut circumspecte & sentiamus & loquamur, propter Pontificios pariter, & præposteros, cum detrimento veritatis inter nos, illosque Pacificatores, necesse est. Quamvis enim ex una alteraque formula aut voce, sano forte sensu usurpata, caput caussæ totius non omnino periculum ruinæ adeat ; tamen, ad incrustanda falsa dogmata, itemque dissensus momenta extenuanda, nihil est proclivius, quam prætextu hujusmodi consensionis abuti. Cuius rei nuper admodum documentum dedit, qui, *Timothei Philalethæ assumta larva, Harmoniam & Disharmoniam Doctrinæ Protestantium & Romano-Catholicorum in Artic. de Justificatione, Freystadii A 1717. publicavit.* Quippe in qua scheda hanc potissimum operam navavit strenue, ut, quascunque posset, insolitas hinc

inde

a) Theol. Poiretianæ Novæ Controv. XVI. f. 203.

inde conquireret phrases, atque inde qualemcumque concen-
tum eruere conaretur. Testatum id, quod diximus, faciet vel
sola, eaque satis temeraria, ad B. Musæi, in Quæstione prin-
cipe, de Justificationis formal, assensum provocatio a) Quan-
do enim l. c. imputationem meriti Christi, non Justificationis forma-
le, sed fundamentum e Protestantibus nonnullos, ait, velle, idque
ex verbis Musæi probatum ivit: *Die Formalis ratio*, dicentis,
Justificationis bestebe in remissione, sive non imputatione peccatorum;
Christi obedientia aber, cum activa tum passiva, fide apprehensa, &
a Deo tanquam nostra acceptata, sive nobis imputata, sey die causa
impulsiva und das fundamentum justificationis, cuius intuitu nobis
peccata remittat, &c. manifestissimum est, mentem acutissimi
Theologi Philaletham illum personatum vel non intellexisse,
vel contra conscientiam in pejore partem detorsisse. Quan-
doquidem nihil luculentius ex istis Museanis Vindiciis patet,
quam Rationem formalem totius, ut vocant, processus justificationis,
ad quem vel maxime imputatio Justitiae Christi perti-
net, actumque, qui in isto processu condemnationi opponitur,
& quasi postremus est, ejusque formam seu rationem forma-
lem, accurate distingui. Quo sensu alii quoque Theologi in-
ter formam hominis sec. Evangelicam Oeconomiam justi, atque
ipsam justificationem, actumque natura consequentem, & ex
priori antecedente positivo profluentem, discrimen aliquod tra-
dunt. Omnes vero, quotquot sincere Ecclesiæ divinioris do-
ctrinæ addisti sunt, ita sentiunt, ut *Justitiam Christi, pro nobis*
Legi Dei, tam vita sanctitate, quam passione praæstatam, in Actu Ju-
stificationis non tantum esse causam meritoriam & moralem, sed
objectum quoque imputationis, & quando nobis imputata est, causam
formalem Justitiae, qua coram Deo consimus b) affirment, atque
in eo præcipue cardinem controversiæ verti idemtidem incul-
cent.

a) §. 38. pag. 37. b) Verba sunt B. Joh. Gerhardi Conf. Catech. L. II. P. III.
Art. 23. cap. IV. f. m. 683. (a)

cent. Eamque B. etiam *Musei* cum collegis fuisse mentem, si placuisset veritati candide eruendæ studere potius, quam glaucomata fingere & Lectoribus objicere, idem *Philaletha*, illico, & quidem ex eadem statim pagina addiscere potuisset : a) ubi duas *justificationis* partes statuentibus, itemque *causam* *formalem* *geminam*, alteram *positivam*, alteram *privativam*, afferentibus &c. se neutiquam refragari docuit, & uberrime confirmavit. Ex quo uno specimine, quid de ceteris tricis, & coloribus, paucisque incommodo a quibusdam dictis, undique ab eodem scriptore corralis, existimandum sit, plane liquet, totamque dissidii summam, & compendiosum *Breviarium* *præmissum* dissertationi, extremoque paragrapho denuo comprehensum & repetitum, quisquis vel obiter inspexerit, quæ spes sit conciliationis, facile intelliget. Nobis in præsens, quantopere in omnes occasiones, veritatem obscurandi & errores incrustandi, deque concordia cum nostris, verbis quoque insolentibus in consensum obtorto collo raptis, & præcipue quidem in summo hoc doctrinæ coelestis capite, sint intenti Adversarii, hinc cognovisse satis est.

§. XXVII.

Nec minor ex his monitis nostris, in *Mixturam* illam *justitiae imputatæ*, æque ac *inhærentis*, quæ ex Lege provenit, & Operum Justitia a Paullo quoque promiscue vocari solet, (vid. Rom. IX, 31. 32.) redundat utilitas : sive Pseudapostolicam illam Justitiæ Legis & Evangelii confusionem apertam, quam idem Apostolus in Epist. ad Galatas ex professo oppugnat: sive recentius illud in Formula Religionis, *Interim*, tantisper scilicet vulnera Ecclesiæ sanarentur, observanda, commendatum temperamentum, aliquis exornare velit; cuiusmodi passim his nostris temporibus conatus observati sunt. Ut enim omit-

a) Überioris Explanationis *Loc.* XIII quest. 73, p. 588, sq.

tamus luculentissima Spiritus S. asserta, quibus Opera simpli-
citer & in universum omnia, sive viribus naturalibus, sive
etiam gratia regenerationis supernaturali facta a Justificatione
sine ulla limitatione addita (quanquam non nisi unam Paullus
agnoscat,) excluduntur; (qualia *Judeorum* & *Græcorum*,
ipsiusque *Abrabami* & *Paulli* iupra diximus fuisse; unde etiam
Galat. II, 16. plurimi Hebræorum more absolute negante,
εἰ δικαιοδοσία εἰς ἔργων νόμου πάντας σάρκα, dicitur) repugnat certe
periculosa huic hypothesi toties inculcata Spiritus S. inter
Promissionem, mere gratuitam omnemque gloriationem exesse
jubentem, & Legem, Operibus utcunque confidentem, Oppo-
sitio in hoc Justificationis negotio perpetua: ita quidem, ut
non Evangelio duntaxat Justificationem assignet, sed etiam,
quoties illud fit, Legi omnino deroget, fideique in Christum
illam acceptam referat, immo etiam Christum perdidisse
(κατέργηθε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ) gratiaque excidisse (τῆς χεριτοῦ ἐκπέντε) quicunque
ἐν νόμῳ, h. e. Operibus, secundum Legem quam-
cunque, præstitis justificari desiderent, Gal. V, 4. asseveret.
Quorsum etiam pertinet constans gratiæ, donique per gratiam,
ex unius Christi obedientia Rom. V, 18. 19. Hebr. X, 14. &c.
expectandi, fideique nobiscum communicandi, cum iisdem
Operibus insociabilis, ubi de Justificatione coram Deo agitur,
indoles, eaque tam manifesta, ut, quando Paullus Operum,
in ea causa occupatus, mentionem fecit, meriti eorum ex-
planate meminisse ne quidem operæ pretium duxerit, quia
alia ratione in præsenti ea spectari neutriquam posse probe
noverat. Quemadmodum vero pernicioſa hæc Operum Fi-
deique *Ferruminatio*, quo significantissimo vocabulo *Henr.*
Ekardus usus est, a) provide de Vitæ Renatorum probitate &
singularum actionum integritate qualicunque loquendo, atque
pro Justificatione gratosam Approbationem divinam substi-
tuendo,

a) Dispp. Giesieni. Tom. III. Disp. IV. §. 49. seqq.


ruendo, evitatur: ita quoque Socinianorum æque ac Remonstrantium *Acceptilationi* obviam hoc modo itur perquam com-mode, eamque, si qua Deo tribuenda sit, non ad justificatio-nem antegressam, sed ad Renovationem subsequentem, Ju-diciumque de ea benigne ferendum, pertinere ostenditur. Et quamvis nostratum quoque nonnulli *Acceptilationem*, Theologico non Juridico sensu, illic haud prorsus repudient a), quia *satisfactio Christi nobis accepta feratur*, & tanquam pro soluto ideo nostra debita habeantur, licet *a nobis soluta non sint*, seu *fundamentum habeat obedientiam & satisfactionem per Christum factam*, cuius meritum *preciosissimum nobis applicetur*; satius tamen esse judicarunt perspicacissimi Viri, si & in *justificatione* acceptari potius alienum meritum pro nostro, quam acceptilari, quod ipsi *justitiae Christi videatur aliquid perfectio-nis detrahere*, dicatur, & in *Renovatione*, ubi Bonorum im-perfectio Operum tamen manifesta est, pariter *Acceptatio seu Approbatio ille divinæ éternitatis Actus vocetur*, quam *Acceptatio*. Hæc enim, sicut *a Deo ubique arcenda est b)*, qui res num-quam aliter accipit, atque revera se habent, ita effugia Adversario-rum quorumvis rectius occiduntur, si, quod in Leprosorum commercio prohibitum esse constat, etiam ad sacram con-tagium cavendum, colloquia cum infectis, h. e. voces contagiosi quid sonantes, pro virili declinemus.

§. XXVIII.

Ad extremum denique supercilie & cuiuscunque generis mortalium superbiorum, sibi suisque factis, si quam vel speciem bonitatis præ se ferant, mirifice delectari solitorum, &, quod in fabulis est, Narcissi in modum sui ipsorummet pulchritudine captorum, ad hunc modum, Spiritus divini ductu, quam optime occurritur. Quando enim, veluti haec tenus demonstra-tum

a) Vid. Stegmannus in *Photinianismo Disp. XXXIV*, p. 392. sq. b) Verba sunt Cl. Sam. Strimehi Inquis. ingen. in Arminianism. Annot. ad Dyod. Spanh. VII, f. 282.

tum est, ne in singularibus quidem actionibus, aut omissionibus, Justificationis etiam *Particularis* genuinum, Deique Judicio respondens, fundamentum usquam reperitur, eo minus certe de Justificatione ex Operibus, quam *Universalem* supra vidimus quibusdam cognominari, cogitare cuiquam licebit, & contra, Christum πάντα ἐν πᾶσι, nunquam non esse ac fuisse, immo & futurum esse, dum haec οἰκονομία militantis Ecclesiae duraverit, hinc tanto luculentius elucebit. Nec dubium est, quin solidis hisce *Abnegationis* *sui ipsius* fundamentis positis, aut potius confirmatis, hinc majora indies, in ea modestiæ, nihil omnino sibi tribuentis, via progressuris incrementa veræ sanctitatis promittenda sint. Quæ, si larga olim in extremo die παντοκρήτικη encomia, quibus ne tunc quidem ipsi eleeti se dignos esse agnoscet, & præmia, ut gratuito promissa, ita quoque benigne conferenda, excipient, satis inde sibi argumenti datum esse existimabunt, quo non suam, sed Christi θεωρητική sanctitatem sibi donatam, Deique Trinunius Justitiam remuneratoriam, sed sua in nobis dona coronantem, in omnem æternitatem prædicent. Eaque benignitate Patris nostri, ut cuncti fruamur, est, quod omnibus votis expetimus : Γένετο.



ca 23

AB 154546

X 2311881

IL



Q. D. B. V.
DISPVVTATIO THEOLOGICA
DE
**IVSTIFICATIONE
PARTICVLARI**
QVAM
P R A E S I D E
**GVSTAVO GEORGIO
ZELTNER**
D. P. P. ET P.
D. APRILIS A. S. R. MDCCXVIII.
PRO
ARGVMENTO DISQVISITIONIS ACADEMICAЕ
PROPONET
IO. FRIDERICVS SCHMIDT
LINDA - ONOLDINVS. SS. THEOL. STVD.

SUOBACI,
Sumptibus JOHANNIS JACOBI ENDRESII.
Recusa Anno 1737.